

rationibus, vel alias ob causas, vel quod paucae illi admodum triremes essent, coeptum omisit. 1597

Estensis interea monitorias literas jam emissas conspicatus, qua ratione se tueri posset, diu noctuque meditabatur, ingruentemque fortunae impetum intrepide excepturum praeferebat. Per Imolensem & Pacianum consiliarios Octobono significabat: firmum sibi esse, jus aequumque, quod stare a se arbitratur, constanter defendere; Ferraria nunquam cessurum; extrema quaeque pro ea retinenda subiturum; neque ob id de sua pietate ac religione usque ad supremum spiritum servanda quidquam imminutum iri. Militiae praefectis quinquaginta aureorum millium numerata pecunia, cogere copias quantas possint, jubet: duodecim circiter Helvetiorum millia evocare statuit; ob affinitates atque amicitias, quas in Germania habebat, haud parvam militum manum subsidio sibi futuram ratus. Ea consilia, ii conatus Principum erant. Sed quamvis cuncta armorum bellicae opinione perstreperent, nondum tamen aliquid palam erumpere coeperat, cum Caesar neque moenia ad hostium tormentorumque impetum excipiendum sarciri, neque circumjectum urbi agrum, amotis impedimentis, complanari, neque pleraque ad ambitum urbis, qui septem millium passuum magnitudinem aequat, necessaria effici curaret. Quatuor tantum peditum ex ordinibus millia in pontificiae ditionis finibus constituerat; Lugumque, limitaneam arcem, non absque magnis Clementis querelis, communiri iusserat, qui parem copiarum numerum iis in locis objecerat. Cum vero ea, quae a Montecuculo proposita fuerant, ejusmodi essent, ut Pontificem ad concordiam flectere posse viderentur, Senatu consulto per eundem Montecuculum atque Octobonum, quae sua mens sit, ut planius atque exactius exponat, Estensem hortantur: quo majori cunctatione utatur, eo majus sibi negotium facessere. Qui cum aliquantisper tacitus haesisset, tandem in Senatus voluntate futurum affirmat; scriptoque ad eum misso significat. Ejus haec capita erant. Ut Ferrariae ducatus titulos obtineret, se pecuniam ex pacto numeraturum, annuam pensionem quinta, quarta, tertiae (ea lege, ut capite erogato immunis esset) aucturum: in Flaminia Massae principatum, Consilicem, San-

Caesaris
Estensis bel-
lici apparatus.

Conditiones
ab Estense
Pontifici
propositae.